



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joan. Henrici Meibomii De Cervisiis potibusque &  
ebriaminibus extra vinum aliis Commentarijs**

**Meibom, Johann Heinrich**

**Helmeftadii, 1668**

Lectori Benevolo Henricus Meibomius S. D.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10160**



LECTORI BENEVOLO  
HENRICUS MEIBOMIUS

S. D.



Idebatur forte tibi rem actam egisse, quod libellum Parentis mei de Cervisiis imprimi curaverim, cum de illis omniq̄ue re potabili extent lucubrationes Cll. Virorum Antonii Gazii, Guilh. Grataroli, Thaddæi Hageccii, Martini Schoockii, aliorumque, lectu dignissimæ. Ercertè erit mihi reddenda hujus mei instituti ratio, cum in me magis, quàm Parentem redundet culpa. Non enim vitium est scribere, quæ scripta non placeant, sed emittere: nec fama scribentis agitur in eo, quod scribit, sed quod publicat. Male igitur & de Parente & de publico videbor mereri, quod crambem toties costam apponam. Quod si quis tamen rectè rem consideret, differre plurimum ab aliis ejus argumenti hunc librum deprehendet. Illi enim Medico scopounicè intenti cervisiarum tantùm, quæ in usu sunt, naturam examinarunt: Hic ex antiquitate, etiam remotissima, omnes potus & ebriamina, quibuscunq̄ue populis usitata, quorum nomina

vix

vix vulgò cognita, recenset, & dein cum nostris confert:  
de usu vero, *ως ἐν τέλει* tantum, disputat. Ut ita anti-  
quitate studiosis non possit non esse gratus hic labor. Quod  
si ex Medicis forte nonnulli hæc non habere usum putent,  
næ illi Artis, quam profitentur, amplitudinem non intel-  
ligunt, nec quantam utilitatem habeat, posse victus ratio-  
nem & olim & hodie aliis gentibus usitatam. Sunt ta-  
men, scio, quibus hæc, ut omnis vetus doctrina, sordent:  
quorum & inertium & imperitorum delicias, desidi-  
amque, quasi iudicium, respicere non debemus. Nam hos  
quidem si in consilio habeas, postquam novitii Doctoris  
compendiolum jejuna devoraveris, præter Formulas me-  
dicamentorum quicquam scire necessum non est. Ego  
hujus farinæ homines non moror, nec in illorum gratiam  
supprimere hunc librum volui, qui inter maximos & con-  
tinuos in arte facienda labores Parenti meo natus est, nec  
pluris à me venditur, quàm illi constitit. Sed *non omni-  
bus eadem placere, nec convenire quidem*, dudum observa-  
vit Plinius. Tu vale Lector erudite & fave.



IOAN.